



17574

kat.komp.


I Mag. St. Dr. P

Muskarski Petri: Epopocia Nobilitus ac Gene-
rosis Neosponsis Francis Gordon
et Margarithae Posthae.

PANEG. et VITAE

Polon. 4.

№. 268



M
L
M
In C
54
30

AA

EPOPO'EIA

NOBILIBVS AC GENEROSIS

NEOSPONSIS,

D. FRANCISCO

GORDON,

ET

Lectissimæ Virgini

MARGARITÆ PORTIÆ,

Amicis suis intimis

CONCINNATA

A

PETRO MVCHARSKI,

Medico Cracouiensē

ANNO SALVTIS,

*Misit Dantis Cum cLio sVa munera Sponsis,
Iunius octaua reddidit illa die.*

M
D
C
L
V

CRACOVIAE,

In Officina Viduæ & Hæredum Francisci Cesarij, S. R. M. Typ.

Permissu Magnifici D. Rectoris Acad: Crac.

508
33

Nihil est tam naturæ aptum, tam
conueniens ad secundas res
& aduersas, quàm amicitia.


Cicero in Lælio.



Præcipuum est domesticæ pacis, ac omnium bo-
norum fundamentum, si mariti secùm con-
sentientes sint per omnia, nam ubi hoc fit,
nihil triste contingere poterit Coniugio.

Chrysoft: ad Titum

Hom: 4.



EPOPOEIA.

L Inquens CRACIADVM Parnassi culmen Apollo,
Lechiadum varias properando deserit artes,
Sicelidum charas secum ducendo Sorores,
DANTISCVM tandem fluuio discedit amæno.
Quid plura? Ergo nouis laribus clarescere gestit?
Ut prius Odrysios linquens impune triones,
Ausonijs hospes, Lechicisq; penatibus hæsit,
Pauit & Admeti gregibus ripas Aganippes;
Sic fortasse noui quæret penetralia tecti?
Exul an aeternum? Lechicisq; fugatus ab oris?
Non ita: sed nostris cum vix ea cognita labris
Causa, quid attentet? quod pergat? quid velit ille,
Pandite vos Heliconæ Deæ, causasq; mouete.
Nuper ad Eurotam, postquam lassatus Apollo,
Insperata suo repleuit gaudia luctu,
Exos & exanguis, chari post damna Strategis,
Orbe pererrato statuit lenire dolorem:
Iam magnam Europæ partem lustrauit anhelus,
Et tristes oculos, nunc huc, nunc proiecit illuc,
Vritur infelix veteris formidine casus,
Donec ad Aonias CRACIÆ reflexit Athenas,
Hic paulisper agens, recreans paulisper obortas
Rore genas, (tantos Hyacinthus adegit amores
Flere Deum?) postquam vera hac solatia sensit,

E P O P Ō E I A.

Ad noua non solito defleētens gaudia niſu,
 Sarmaticis etiam voluit recrearier oris,
 Hinc totum luſtrans, vbi Cynthum ponere poſſit,
 Caſtaliae memor ipſe fugæ per ſingula currit,
 Viſtuleas miratur aquas, ripaſq; virentes,
 Vmbroſoſq; ſtupet lucos, vallesq; reduētas,
 Et vario curſu venientia ludere ſecum
 Flumina, decurrunt quorum oſtia vortice torto,
 Intrañtq; aſſiduis gyris per littora Ponti;
 Iam virides ſyluas, dumeta, ac teſqua pererrat,
 Vt tantum leniret iter, flexoſq; reſſus;
 Oppida iam numerat, pleno iam labitur aluēo:
 Quotquot Pierio fuerant tūm vertice Muſæ,
 Quotquot in Iſtuleis fuerant Acheloides vñdis,
 Huc propero cunctæ greſſu comitantur euntem
 Gurgitibus rapidis, quā multā flauus arenā
 Iſtula fleēt iter; quā SENDOMIRIA lymphas
 Agglomerans, SANVS creſcit ſpumantibus akē
 Fluctibus, approperans COMITIA plena videre
 Sauromatūm, Procereſ largo quo tramite tendunt,
 Optatæ pacis ſtudio, belliq; furores
 Mortiferi, patrijs pulſuri a ſinibus. Aſt iam
 Regia celſa tholis ponē eſt, quā Pergama celo
 Sidereo, ſedes Regum VARSOVIA tollit.
 Hinc iter inceptum peragit, populoq; fideli
 TORVNII, forti Suecorum clade repreſſā,
 Gratatur, cupiens libertatemq; perennem.

Nec

Nec mora, nec requies, rectâ certamine summo
 Inde petit GEDANVM. Tum contemplatus ab alto
 Munera, lætitiãq; Deum, quibus undiq; cœli
 Pulchra NEOSPONSÆ decorant conuiuia, mensæ.
 (Non secus ac patriis pridem Cadmeia lustris)
 Gratabundus ouat? personas visere tendens,
 Quæ tibi nunc ô Phæbe dies? quæ gaudia surgunt?
 Quæ pietas? quæ cana fides? Iam munera dotis,
 Auguriumq; suum SPONSIS de corde reponit.
 Iamq; iter emensus comitum stipante cateruâ,
 Egreditur vegetus, portis succedit apertis,
 Iuppiter, ut VENETAM olim (inquit) Neptunus in undis.
 Felici GEDANVM (ni fallor) sorte locauit,
 Ipse viris fecit, muris, fossisq; potentem,
 Diues opum videt? en sedes fortissima, asylum
 Prussiadum, cunctis iterum Neptunia monstrat
 Littora, longinquis merces quæis mittit ad oras
 Gentibus, & Cerere omnigenâ solatur easdem.
 Gratatur SPONSO, quod ad Urbem venerit Almam,
 Coniugiumq; perat, quod SCOTICAREgna relinquens,
 Quærare non dubitet thalamos, SPONSAMQ; venustam.
 Felix ter felix GORDON FRANCISCE vocande,
 Quem Genus & Proavi similes de sanguine Equestri
 Progenitum decorant. NATVM Genitoris ADAMI.
 Cui Patria est GLANBVCHET, sedes FREICHER auitâ,
 Fratres in viuis, IOANNES, PATRICIVSQ;
 Qui lucent Domui veluti duo sidera Lædæ.

Vnâ nobiscum **RICHARDVS GORDON**, honestis
 Moribus excultus, comis, pergratus amicis,
 Craciadûm residens, Frater tuus, incolit ædes:
 Hæc Gens insignis semper Mauortia castra,
 Ægisonæq; sequens, summos cumulauit honores,
 Atq; Magistratus gessit, sella q; curules.

IOANNES Patruus **GORDON** Tuus, ille potentem
 (Cum socijs **EGRÆ**, Butler, Leselq; animoso)

A D 1634.
 Feb. 15.

VALNSTENIVM PILSNÆ, coniurato q; rebelles
 Cæsaris extinxit, fortem promptusq; **VIENNAM**
 (Vulcano & cædi inscriptam) seruauit, eidem

Ausis protantis donauit munera **CÆSAR**
FERNANDVS, technis detectis, fraude q; pulsâ,
 Auratos Equites inter iussitq; sedere,
 Latus honore suo; patulo celebrabitur orbe
 Fama viri, spectata Fides, & Robur abenûm.

Suspiciens olim noster **REX** inclitus, illi
VLADSLAVS Castris Præfæcti munia donat,
 Horrida fœdifragus dum Moschus bella ciceret,
 Inuictum oppugnans ingenti mole **S MOLENSVM**.
 Prælia seculant festiuum Hymenæe canamus,
 Hospes **APOLLO** fauet, gladios & spicula temnit.

Visitat hic **SPONSAM**, probitas quam, forma, pudorq;
 Candida mens; animiq; vigor, prudentia (maior
 Annis) condecorat. Quodsi conferre licebit?
 Claudia Vestalis campum pietate relinquet,
 Et laudata olim, modò Deiopeia victa?

E P O P Ō E I A.

Græca pudicitia palmam mirabitur Hippo,
 Lesbia nec Sappho scripto, nec Clara Corinna
 Doctrinâ, VENETVM aut surget Cassandra fidelis,
 Portia Magne Cato demum tua Filia cedit.
 Omnibus excellit, iunctim hic compendia cernis
 Virtutum, quas sparsim illæ coluere priores.
 Ast hæc parua fero, merito nec digna fauori,
 Ne tua laus, VIRGO, nigrâ condatur in umbrâ
 MARGARIS Illustris, quæ Phœbi lampadis instar
 Purpureis fulgens radijs, largiris amicas
 Delicias, Tu Solamen, Cor, Vita, Parentum.
 BORSONIÆ ANNA à Douglas sat dignissima Mater,
 Te genuit, claro sociandam ritè M ARITO,
 Huic Pater est IACOBVS PORTIVS, ille benignus
 Instructor morum, calamo, linguâq; disertus,
 Quem noscunt Cathedra Doctorem, & rostra Senatus.
 Si quæris Patruos, plures numerare licebit, (det,
 IACOBO CROSNA, ANDREA IARSLAVIA, gau-
 Tertius apprimè est nostro hæud inglorius orbi
 PORTIVS a Lanxeth, primis ROBERTVS ab annis
 Inuisit gentes varias, nunc Lechica Regna
 Posthabitæ laribus feliciter incolit, illum
 Ob dotes animi Ciues cuncti venerantur,
 Clerus amat, Patremq; vocant constantèr egeni.
 Regum VLADSLAI & CASIMIRI plurima faustè,
 Gnauiter & perplexa negotia perficit idem,
 Propter quod Titulum FACTORIS REX dedit, illi.

CROSNA

E P O P Ō E I A

CRO SNA sit ipsa satis testis verissima factis.
 Æde Paracâ, cum Censu, binisq; Capellis,
 Campanæ, Turris, Postes, Altaria Diuûm,
 Picturæq;, Pauimentum, subsellia, dextrâ
 Munificâ hæc erexit PORTIVS, atq; dicauit.
 Fins nullus erit fandi, si cætera scripto,
 Rectè factorum seriem, & virtutis obirem.
 Qui tantum semper post funera laudis habebit,
 Contigerat quantum cuiquam virtutis alumno.
 At quia prouectum fugit in præconia tempus,
 Tempus abest, encomia contraho, dixit Apollo,
 Cum potius deceat pro SPONSIS dicere vota,
 Annuat ipse Pater fulgentis Reçtor Olympi,
 Pro SPONSIS noua vota nouis, de pectore promo;
 Viuite ritè pares, æterno fœdere iuncti,
 Promissamq; fidem thalamis, animisq; tenete,
 Et gnatos dulces, seros numerate Nepotes.
 Dixit, & òculus patrias migravit ad oras,
 Sicelidum sese retrò comitante Coronâ:
 Omnes gratisonam extemplò sonuère loquelam,
 Faxit. Io cuncti vocem geminemus eandem,
 Concordes SPONSIS felicia secula uiuant,
 VIVANT: & dulci sobolescant stirpe vegentes.



